

CAS. II. Rosa, cum fere toto tempore auditionis Sacri die festo voluntarie fuerit circa res domesticas distracta, dubitat, an Ecclesie præcepto de auditione Sacri satisfecerit; quare consulit Confessarium. Q. Confessarii responsio.

Respondeo probabilius Confessarium teneri respondere, non satisfacisse. Ratio est, quia Ecclesia in auditione Missæ præcipit attentionem moralem, & religiosam ad Dei cultum spectantem; finis enim est, ut colatur Deus; quam attentionem indirecte valet præcipue, cum sit connexa per modum formæ cum actu externo, quam præcipit ad Dei cultum: talem autem attentionem non habuit Rosa in casu; hinc cum non satisfacisset, debet Confessarius respondere, ad docendum, quod in praxi docent Viri pii, & quod probabilius est. Dico probabilius, quia non desunt plures DD. oppositum sustinentes.

CAS. III. Titius furatus est pullum equinum, qui adolevit. Q. an teneatur restituere, quantum valebat pullus tempore furti, an detractis expensis, quantum valet de præsentii.

Respondeo, teneri, quantum valet de præsentii. Ratio est, quia in rebus, quæ incrementum habent ab intrinseco, restitutio facienda est pretio summo, si fur illas vendit pretio summo, licet Dominus tali pretio res non vendidisset, eo quia totum illud incrementum, cum sit inseparabile à re furtiva, totum cedit domino, qui numquam talium rerum dominium amisit, estque veluti fructus naturalis, qui semper domino debetur; sed pullus in casu habet incrementum ab intrinseco, cum adoleverit: ergo Titius detractis expensis, si pullum vendidit, debet Domino, quantum valet de præsentii, restituere. Ita cum Less. lib. 2. cap. 12. dub. 16.

MENSE DECEMBRIS.

CAS. I. Berta vidua, vovit à carnibus abstinere die Mercurii per annos decem, quod quinque annorum spatio in viduitate servavit; at cum transierit ad secunda vota, Maritus hoc ei prohibuit, quinimo tale votum irritavit. Q. an vir potuerit tale votum irritare, & Berta absque scrupulo votum non servare.

Respondeo negative ad primam partem, affirmative quoad secundam. Ita cum Pontio, Castropalao, Felic. à Potest. licet oppositum doceant Sanchez, & Diana tom. 6. tract. 6. resol. 217. Ratio est, quia tale votum fuit à Berta emissum tempore viduitatis; & sic antequam secundo viro subiceretur; unde, cum tunc non dependeret à tali viro in suo regimine, vir non potest titulo præsentis potestatis irritare votum, quod in suo esse nullam habuit ab ipso dependentiam. Quia tamen votum tunc emissum viro præsentii præiudicat, quia cum sui incommodo teneretur uxori specialia alimenta providere, hinc potest tale votum indirecte solum irritare, seu suspendere, & uxor titulo talis suspensionis poterit licite tempore talis matrimonii votum non servare.

CAS. II. Titius dubitat, tum an ex suo malo consilio fuerit causa damni, tum an fuerit causa abortus foetus animati. Q. an teneatur damnum compensare, & an sit irregularis.

Respondeo affirmative ad utrumque. Ratio primæ partis est, quia, cum certo constet, consilium esse datum ad damnum inferendum, & dubium solum sit, an in damnum influxerit, possessio non est pro libertate consentis, sed est pro consilio; eo modo quo, si certo constet votum fuisse emissum, & solum dubitetur, an cum requisita intentione, possessio est pro voto: si autem possessio est pro consilio tota præsumptio est pro influxu in damnum, & sic titulo talis consilii tenebitur Titius illatum damnum compensare, ut docet Lugo disp. 19. num. 21. quidquid in contrarium sentiant alii. Ratio secundæ partis desumitur ex cap. *Ad audientiam*, & cap. *Significasti*, secundo de homicid. ubi expresse decisum habetur, dubium de homicidio voluntario, ut esset in casu, cum foetus supponatur animatus, censendum esse irregularem quoad effectum abstinendi à divinis.

CAS. III. Sacerdos doctus confessus est apud Confessarium simplicem peccatum grave quidem, sed dubium, an esset, necne Ordinario reservatum, fuitque à tali Confessario absolutus; at, cum modo sciat, tale peccatum vere esse reservatum, angitur scrupulis, an teneatur illud confiteri apud Confessarium privilegiatum. Q. quid dicendum.

Respondeo cum Card. de Lugo disp. 16. sect. 2. §. 4. & disp. 20. num. 20. non teneri. Ratio est, quia talis Sacerdos jam fuit à tali peccato legitime absolutus; confessio enim facta fuit de peccato prout erat in conscientia, & absolutio tradita fuit à Confessario, qui, licet simplex esset, habebat legitimam potestatem in tale peccatum: reservatur enim ab Ecclesia solum hæresis formalis certa, v. g. vel incestus certus, non hæresis dubia, aut incestus præsumptus: ergo non est, cur deveniendo in notitiam, suum peccatum vere fuisse reservatum, illud denuo confiteatur apud Confessarium privilegiatum: ut in simili docet Sanchez de voto dubio perpetuæ castitatis, quod si Episcopus dispenset, non est denuo ad Pontificem recurrendum, si certo postea constet, tale votum fuisse emissum.

ANNO MDCCXXVI.

MENSE JANUARI.

CAS. I. Titius, obtenta facultate à Sacra Pœnitentia, ut cum ipso à Confessario viro discreto specialiter eligendo dispensetur super impedimentum affinitatis contractum ex copula habita cum Berta, ad hoc, ut possit matrimonium cum Francisca ejus sorore jam publice in faciem Ecclesie contractum revalidare, in Confessarium elegit proprium Parochum: at, quia expertus est, ab eo nimis rigide tractari, illo relicto, alium quæsit benigniorem, à quo obtenta dispensatio fuit executioni demandata. Q. an vere potuerit secundum Confessarium eligere.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia ex una parte Breve non amittit suum

suum valorem, ex quo fuerit adaptum à Confessario diverso ab eo, qui illud exequitur; nam licet hoc asseruerint nonnulli simplices (utor terminis Lezanæ) tamen quia in Breui non indicatur eundem esse debere, qui litteras aperiat, & exequatur, ideo non obstat, fuisse ab alio adaptum, quod præ cæteris clare docet Bonac. de leg. dis. 1. q. 2. p. 2. num. 3. ex alia parte non obstat prior electio Parochi in executorem, tum quia major Pœnitentiarius per dictum Breve non potius unum, quam alium elegit Confessarium, sed solum Confessarium virum discretum ab Ordinario approbatum, ut advertit meus Rosignol. de Matr. cont. 15. prænot. 25. tum quia, cum talis dispensatio committatur solum pro foro interno, Major Pœnitentiarius illam committit ad formam & naturam Confessionis sacramentalis; quare sicuti inchoata confessione apud rigidum Confessarium potest Pœnitens ad benigniorem accedere, ita & in casu Rosignol. loc. cit. Gobat. de Matr. tract. 5. c. 37. num. 167.

CAS. II. Petrus liber Bertæ conjugatæ matrimonium promisit post mortem viri sui; ac captus amore Franciscæ, hanc duxit in uxorem. Post contractum tale matrimonium, adulterium commisit cum Berta. Obeunt deinde vir Bertæ, & Francisca. Q. an Petrus, & Berta possint inter se matrimonium inire.

Respondeo affirmative. Ratio est, quia ut inducatur criminis impedimentum, quod dicitur adulterium cum promissione, de quo unice dubitari potest in præsentem, debent simul esse promissio, & adulterium, ut docent omnes. Hoc autem non verificatur in casu, nam licet fuerit promissio, & adulterium, promissio tamen fuit ante adulterium retractata, quod sufficit ne resultet criminis impedimentum, cum sic cesset finis impedimenti; fuit enim retractata, si non per verba, saltem per factum, scilicet per matrimonium in initum cum Francisca post promissionem Bertæ factam, & ante adulterium paratum; quæ retractatio satis est, quoad effectum præsentem, si à promittente fiat, utpote ab initio irrita, & à jure reprobata, licet non sufficiat retractatio per factum contrarium ab una parte tantum ad extinguenda sponsalia valide contracta, cum sponsalia, sicuti ad hoc ut inducantur valida, debeant esse mutua promissio, ita ut extinguantur, requiritur mutuus consensus. Si ergo promissio fuit ante adulterium retractata, jam non fuerunt simul promissio, & adulterium, ideo nil obstat ad validum matrimonium inter Petrum, & Bertam.

CAS. III. Paulus furatus est scuta 50. cum animo intra quadrantem illa Domino restituendi. Q. an peccaverit lethaliter.

Respondeo negative cum Lug. de just. disp. 8. sect. 2. n. 42. Ratio est, quia per talem ablationem, & brevem retentionem regulariter non infertur grave nocuum proximo, ratione cujus ablatio, & retentio est graviter injuriosa; dico regulariter, quia si per accidens damnum grave obveniret Domino, & esset à Paulo prævisum, tunc sane lethaliter peccaret.

CAS. I. CUM in Breui Sacræ Pœnitentiariæ, quod Titius, ut supra, obtinuit, legantur hæc verba *ad vitanda scandala*, ortum est dubium, quid talia verba significant. Q. dubii solutio.

Respondeo dicta verba significare, dispensationem ideo dari, ne per separationem præbeatur occasio peccandi per temeraria judicia, detractiones, odia, dissensiones, & similia, & quæ omnia ex separatione ordinarie loquendo sequerentur. Ita communiter.

CAS. II. Petrus liber adulteravit cum Berta uxore Caji, postea captus amore Marthæ, hanc duxit in uxorem: at, cum hæc ei cito apparuerit exosa, promisit Bertæ matrimonium post mortem Caji, & Marthæ. Obeunt Caju, & Martha. Q. an Petrus, & Berta valeant matrimonium contrahere.

Respondeo negative. Ratio est, quia obstat impedimentum criminis, quod dicitur adulterium cum promissione matrimonii; etenim ut hoc inducatur, requiritur, quod simul sint adulterium, & promissio durante eodem matrimonio, quod contigit in casu; fuit adulterium, & quidem formale, ut supponitur, quod non tollitur per matrimonium cum Martha; fuit promissio matrimonii non retractata per verba, vel per factum, quæ, sive præcedat, sive subsequatur adulterium, sufficit ad impedimentum inducendum; unde simul fuerunt, & quidem durante eodem matrimonio, Bertæ scilicet cum Cajo, adeoque obstat tale impedimentum dirimens, ne valide Petrus, & Berta valeant matrimonium inire.

CAS. III. Paulus excommunicatus bona fide accedit ad Confessarium; cui omnia sua peccata confitetur, & ab eodem absolvitur quidem à peccatis, sed non à censuris. Q. an talis confessio fuerit valida.

Respondeo cum meo Girib. de Pœnit. tract. 7. cap. 11. dub. 2. Confessionem fuisse validam. Ratio est, quia eo ipso quod Paulus noster bona fide accessit ad Confessarium, eique omnia sua peccata fuit confessus, jam accessit cum naturali oblivione, æquivalenti ignorantia invincibili excommunicationis, quo dato, ex una parte fuit capax absolutionis, quia excommunicatio reddit solum absolutionis incapacem pœnitentem excommunicatum scienter contra Ecclesiæ prohibitionem accedentem ad Confessarium non habentem jurisdictionem in excommunicatione, non vero bona fide ad talem Confessarium accedentem; ex alia parte Sacerdos non carebat jurisdictione in peccata exposita, eo quia licet Ecclesia potuisset tollere jurisdictionem à Sacerdote respectu excommunicati, & sic irritare Sacramentum, hoc tamen cum ex nullo textu colligatur, sed solum habeatur prohibitio, quæ non extenditur ad casum naturalis oblivionis, sequitur confessionem Pauli fuisse validam, quidquid dicant Vasq. & Urtad.

CAS. I. IN supradicto Breui, quod Titius obtinuit, legitur *à modo præfatum impedimentum sit occultum, & separatio inter Titium, & Franciscam fieri non possit absque scandalo*. Q. primo, an subsistat prima clausula, si illud impedimentum sciatur à tribus.

Respondeo regulariter loquendo subsistere. Ratio est, quia occultum, de quo loquitur sacra Pœnitentia, illud est, quod à nemine, vel à tam paucis scitur, quod neque est famosum, neque manifestum, neque notorium facti, vel juris. Hoc autem verificatur in casu, quia regulariter loquendo per hoc, quod tres in aliqua rurali Parœcia sciant impedimentum, à tam paucis scitur, ut neque sit famosum, vel manifestum, vel &c. ut naturæ lumine satis constat, qua ratione communiter docent DD. apud Rosignol. impedimentum non posse dici publicum, nisi plusquam quinque personis innotescat. Dixi regulariter, quia si tales occurrerent circumstantiæ, ex quibus appareret impedimentum à tribus illud scientibus facile esse publicandum, tunc esset publicum, si non actu, saltem virtute, & quidem proxime.

CAS. II. Q. secundo, quid importent verba illa *absque scandalo* in secunda clausula apposita.

Respondeo, talia verba importare, quod si separatio fieri posset absque eo, quod esset occasio peccandi, dispensatio esset nulla ob falsitatem in supplicatione expositam, vi cuius in brevi legitur, *imminere periculum scandalorum*, ut asseritur.

CAS. III. Pœnitens tradidit Confessario chartulam, in qua nummi continebantur, dicens *Faveat celebrare 20. Missas*; cui respondit Confessarius, *Libenter viginti Missas celebrabo*; at, cum pecuniam numerando, invenerit, eleemosynam pro qualibet Missa non excedere summam novem bonenorum, tot tantum celebrat Missas, quot correspondent eleemosynæ consuetæ. Q. an licet.

Respondeo affirmative; si non potuit pœnitentem convenire, qui talem ei eleemosynam tradidit. Ratio est, quia eo ipso, quod non potuit pœnitentem convenire, vel ut illum de errore moneret, vel ut onus tot Missas celebrandi bona fide acceptatum recusaret, propria auctoritate potuit Missas reducere ad æqualitatem consuetæ eleemosynæ; etenim sic agendo non peccaret, vel contra iustitiam, quia servaret æqualitatem, vel contra fidelitatem, quia promissio nulla fuit, utpote ex errore incongrui stipendii in chartula inclusi, vel contra declarationem Sacræ Congregationis jubentis, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, tot debere Missas celebrare, prout promiserunt, quia Sacra Congregatio supponit scientiam incongruitatis stipendii, quæ defuit in casu; ideo licite se gessisse Confessarium, dicendum est cum Donat. tom. 3. tract. 7. quæst. 46. & 47. Rotar. tom. 3. Theol. Moral. lib. 1. de Sac. cap. 2. part. 6. num. 15.

MENSE APRILIS.

CAS. I. Similiter in suprascripto Brevi à Titio obtenta legitur: *sublata occasione amplius cum Sorore Franciscæ peccandi*; at, cum adhuc in eadem domo habitet cum Titio. Q. an Confessarius possit cum Titio dispensare.

Respondeo, vel Titius ita se abstinet à turpitudine cum Sorore Franciscæ, ut occasio peccandi nullo modo sit proxima, vel non; si primum, potest Confessarius cum Titio dispensare, quia talis cohabitatio non est moralis occasio peccandi, ut patebit terminos consideranti: si secundum, vel talis coha-

bitatio est voluntaria, aut involuntaria; si voluntaria, absolute non potest dispensare, nisi dimissa Sorore Franciscæ, quia hoc per modum conditionis necessariæ præscribit Sacra Pœnitentia; si involuntaria, tunc Confessarius, qui hisce materiis debet esse rigidus, præscribere debet modos, quos Doctores in similibus occasionibus ad avertenda peccata assignant, ut occasio de proxima fiat remota; si ita contingant tunc potest dispensare, secus si secus; ita cum Tibur. Navarr. de execut. lit. Sac. Pœnit.

CAS. II. Petrus per tres annos abstinet à præcepto Confessionis, & Communionis adimplendo, dicens se non esse dispositum, cum non possit deponere odium, quod erga occisorem Fratris sui habet; proinde nollet Sacriligium committere. Q. an, & quot peccata commiserit.

Respondeo primo, peccasse contra præceptum Confessionis, & Communionis; & ratio est, quia sicuti, ut docet Lug. de Euchar. disput. 16. sect. 2. n. 17. graviter peccat contra præceptum de Eucharistia sumenda excommunicatus non curans auferre impedimentum ad præceptum observandum, ut potest, & tenetur, quia Ecclesia præcipiens finem, præcipit media ad finem necessaria; ita graviter peccavit Petrus in casu contra præceptum Confessionis, & Communionis non se disponendo ad tale præceptum servandum per odii depositionem, ut poterat, & tenebatur juxta illud: *diligite inimicos vestros*.

Respondeo secundo, taliter se abstinendo sex peccata commisisse. Ratio est, quia per sex vices, ut patet, culpabiliter omisit parere præcepto; præceptum enim Confessionis, & Communionis duplex est; quia unum stare potest, & stat sine altero; si ergo per tres annos culpabiliter non paruit præcepto Confessionis, & Communionis certum est sex peccata Petrum commisisse.

CAS. III. Confessarius Paulo, qui sacrilege in propria Parœcia Eucharistiam sumperat, imposuit, ut iterum in eadem Parœcia Sacram sumeret Synaxim; &, quia parere recusat dicens, se paratum esse sumere Eucharistiam in qualibet Ecclesia, nolle tamen ad Ecclesiam Parochialem denuo accedere, ei denegat absolutionem. Q. an bene se gesserit Confessarius.

Respondeo, male se gessisse. Ratio est, quia finis Ecclesiæ præcipientis Eucharistiæ sumptionem in Paschate in propria Parœcia duplex est, scilicet ad bonum animæ, & ob recognitionem proprii Pastoris; Paulus autem per Communionem in Parœcia, licet sacrilegam, recognovit proprium Pastorem, unde ei remanet consulere bono animæ, quod præstare potest digne sumendo Eucharistiam in qualibet Ecclesia, cum tale animæ bonum ab Ecclesia intentum haberi possit per dignam Eucharistiæ sumptionem, sive in Ecclesia Parochiali, sive extra illam; ergo in Paulo nulla erat obligatio Eucharistiæ denuo in Parœcia sumendi, sicque nec jus in Confessario ad illum cogendum per absolutionis denegationem, unde male se gessit Confessarius. Hoc totum patet in simili de Matrimonio, quod si invalide contrahatur in faciem Ecclesiæ, ob impedimentum dirimens occultum, obtenta dispensatione; opus non est, ut denuo coram Parocho, & testibus revahidetur, sed sufficit, ut novus habeatur consensus.

CAS. I. IN supradicto Brevi, quod Titius obtinuit, legitur etiam: *audita prius ejus Sacramentali Confessione.* Q. primo, an, si non esset conscius peccati lethalis, satis ei esset ad fruendum beneficio dispensationis, si diceret: *Ab ultima Confessione nullum peccatum commisi.*

Respondeo negative. Ratio est, quia licet quis non teneatur confiteri peccata jam per sacramentalem absolutionem deleta, tamen quia Ecclesia potest Confessionem præcipere in hypotesi, quod velit beneficio dispensationis gaudere; cum non teneatur dispensare; & ita de facto præcipiat, ut ex verbis Brevis, tenetur Titius vere sacramentaliter confiteri, & si hoc nolit præstare, defectu conditionis à sacra Pœnitentiaria præscriptæ, non poterit frui beneficio dispensationis; ita communiter, cum secus fere totum Brevis Apostolici robur corrueret, quidquid dicant Gobat, & Lezana.

CAS. II. Q. secundo, an valeret dispensatio, si Titius apud Confessarium specialiter electum sacrilege confiteretur.

Respondeo, vel Titii confessio esset sacrilega ob defectum doloris, aut ob reticentiam peccati non habentis respectum ad dispensationem, vel esset sacrilega ob defectum integritatis circa rem, de qua petitur dispensatio; si primum, valet dispensatio, quia sic ex una parte adhuc concurrerent omnia, quæ ex dispositione styli sacræ Pœnitentiariæ ad validam, & legitimam dispensationem requiruntur, ut supponitur, ex alia parte dispensatio ex genere suo cum sacramentali Confessione non connectitur; si secundum, non valet, quia deficerent requisita ex parte causæ ad dispensationem, cum non fuerint in Confessione manifesta ea, quæ erant manifestanda; ita Rosignol. Gobat, & alii.

CAS. III. Paterfamilias non mittit filios suos ad Doctrinam Christianam, & Parochus non curat, ut mittantur, unde filii debita carent notitia Mysteriorum Fidei. Q. quis eorum teneatur reddere rationem de animabus puerorum.

Respondeo utrumque. Ratio est, quia Parentes non tantum filios genuisse, illosque alere contenti esse debent *ex h. si quis à liberis*, sed onera omnia, quæ ad parentes incumbunt, explere debent; inter quæ præcipuum est, filios in spiritualibus, & maxime necessariis ad salutem instruere vel per se, vel saltem per alios idoneos; Parochi tenentur oves suas pascere, & maxime parvulos specialiter indigentes, ut quis, eis Doctrinæ Christianæ panem frangat. Hoc autem dato, quis non videt in casu tum Patremfamilias non mittentem filios suos ad Doctrinam Christianam, tum Parochum non curantem, ut mittantur, teneri reddere rationem de animabus puerorum, si ex eorum desidia filii careant debita mysteriorum fidei notitia; Væ huic Patrifamilias! Væ huic Parocho! quia in die iudicii in eos vertetur illud Jeremiæ: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Ita communiter cum Lezana part. 8. tom. 1. disp. 6. quæst. 12.

CAS. I. IN supradicto Brevi conceditur Confessario electo facultas Titium absolvendi ab incestu in primo affinitatis gradu commisso ob copulam cum duabus Sororibus Berta, & Francisca. Q. primo, an si Titius nollit frui beneficio dispensationis super impedimentum, possit simplex Confessarius illum directe absolvere.

Respondeo negative. Ratio est, quia cessante causa finali mandati, cessat & effectus, cap. *si pauper de præb. in 6.* hæc autem cessat in casu, etenim causa finalis, & quidem totalis, cur Sacra Pœnitentiaria det potestatem absolvendi ab incestibus, qui ab Ordinario supponuntur reservati, est, ut pœnitens beneficio dispensationis ineat de novo matrimonium digne, & liber ab omni culpa, ut patebit Breve consideranti; ergo cum nolit matrimonium inire, quod per Sacram Pœnitentiariam finaliter intenditur, cessat, tamquam effectus, facultas illum ab incestibus reservatis absolvendi.

CAS. II. Q. secundo, an, si differatur dispensationis executio per sex menses, possit simplex Confessarius Titium directe absolvere ab Incestibus interea commissis.

Respondeo, vel causa talis dilationis fuit legitimum impedimentum, vel fraus, & dolus; si primum, affirmative, eo quia illa clausula: *hac vice absolvas*, quæ adponitur in Brevi, utpote gratia liberaliter concessa à potente illam concedere, non ita coarctat proculdubio facultatem ad peccata ante concessionem commissa, quin etiam ad committenda extendi possit, intra tamen certum tempus, quod sufficiat ad verificanda moraliter illa verba *hac vice*, quod tempus sane erit sex mensium spatium, si causa dilationis fuit legitimum impedimentum: si secundum, negative, quia fraus & dolus non debent patrocinari; secus posset talis facultas per annos, & annos protrahi contra mentem sacræ Pœnitentiariæ. Ita cum Lugo de pœn. disp. 20. sect. 8. num. 126.

CAS. III. Q. tertio, an si per annos differatur dispensationis executio, & novos Titius non commiserit Incestus, valida erit dispensatio.

Respondeo affirmative. Ratio desumitur ex eodem Lugo loc. cit. scilicet, quia ad verificanda illa verba *hac vice* sufficit, vel quod tempus absolutionis non longe à concessionem distet, vel quod legitima causa differendi intercedat, vel quod absolutio sit de peccatis narratis, & non aliis novis, cum hoc modo verificarentur illa verba, *hac vice*, ratione materiæ, esse eadem: si ergo Titius novos non commisit incestus, potest à commisis absolvi, & sic frui beneficio dispensationis, licet per annos fuisset dilata dispensationis executio.

CAS. I. CUM in supradicto Brevi legantur etiam hæc duæ Clausulæ: *Titio pro tam enormis libidinis excessu injuncta pœnitentia salutari, & alia, quæ de jure fuerint injungenda.* Q. primo, qualis in praxi esset Titio à Confessario pœnitentia imponenda.

Respondeo in praxi Titio pro tam enormis libidinis excessu pœnitentiam esse

esse imponendam attentis circumstantiis conditionis, sexus, & ætatis ipsius: quia sæpe pœnitentia, quæ est gravis respectu senis, vel infirmi, vel nobilis, est levis respectu juvenis, sani, & ignobilis; Quare si Titius esset Rusticus, sanus, juvenis, sed pauper, qui victum laboribus suis sibi compararet, ei imponi posset pœnitentia salutaris, ut per tres menses quindecim Pater, & Ava extensis brachiis quotidie recitaret. Si vero esset Rusticus juvenis, sanus, sed habens in bonis, ei imponendum esset jejunium semel quolibet hebdomada, & eleemosyna suo statui proportionata. Si vero esset senex, & miser, ei posset injungi recitatio tertiæ partis Rosarii per tres menses tribus diebus cujuslibet hebdomadæ, & sic diversimode juxta diversas circumstantias; ita tamen ut pœnitentia sit gravior, si delictum numquam fuit in confessione expositum; levior, si jam fuit confessum. Ita cum citat. Tibur. Navar. Gobat. de mat. tr. 5. sect. 4. c. 37.

CAS. II. Q. secundo, quid importet secunda clausula, *alia, quæ de jure fuerint injungenda.*

Respondeo, talem clausulam importare, injungendas esse alias pœnitentias juxta naturam aliorum peccatorum in confessione expositorum, ita ut si pœnitens detraxisset, vel furtum commisisset, ultra obligationes restitutionis famæ, vel rei, esset imponenda etiam pœnitentia talibus delictis proportionata. Ita cum mox cit. DD.

CAS. III. Petrus, volens sequenti nocte equum vicini sui furari, narrat Sejo amico, qui ait: *Facilius est equum furari tempore Missæ, quo etiam canes absunt*: quo audito, Petrus tempore Missæ equum furatur. Q. an, non restituente Petro, Sejus ad equi restitutionem teneatur.

Respondeo teneri: Ratio est, quia sicuti, ut docet Molina, qui parato furari post octo dies suadet furari hodie, tenetur restituere, non restituente illo, qui rem accepit, cum sit vera causa efficax talis furti, quia fur intra octo dies potuisset impediri, vel mutare voluntatem; ita tenetur in casu amicus propter eandem rationem, non restituente fure, equum Domino restituere; fuit enim causa, ut tali tempore Petrus securius furtum commiserit, à quo potuisset nocturno tempore impediri.

MENSE AUGUSTI.

CAS. I. IN supradicto Brevis legitur, *presentibus laniatis sub pœna excommunicationis.* Q. primo, an idem esset Litteras comburere.

CAS. II. Q. secundo, an sufficeret auferre sigillum.

CAS. III. Q. tertio, an satis esset illas lacerare per medium, licet adhuc commode legi possent à quocumque.

Ad I. II. & III. Respondeo affirmative. Ratio omnium est, quia finis sacræ Pœnitentiariæ talem clausulam apponentis est, ne litteræ obtentæ prosint in foro externo; hic autem finis optime habetur omnibus modis enarratis, nam combustio ad talem effectum plus est, quam litterarum laniatio; laceratio per medium illas inuiles reddit, sicuti in praxi nullius roboris est scriptura per medium divisa, licet commode legi posset; ablatio sigilli ab illis omne robur tollit, cum litteræ sacræ Pœnitentiariæ, non nisi sigillo mu-

nitæ, habeant Apostolicarum Litterarum valorem; quare illas lacerando per medium, comburendo, sigillo spoliando, idem fuit quoad finem intentum, ac illas laniare; in legibus enim intelligendis non grammaticalibus verbis est adhærendum, sed intentioni legislatoris insistendum. Ita Lacroix, & alii Doctores talem clausulam explicantes.

MENSE SEPTEMBRIS.

CAS. I. SUPradictum Breve post executionem non fuit à Confessario laniatum, vel combustum, vel laceratum per medium, vel sigillo spoliatum. Q. an subsistat dispensatio.

Respondeo cum Rosignol. loc. cit. affirmative. Ratio est, quia mens sacræ Pœnitentiariæ illas particulas, *presentibus laniatis*, apponentis, fuit unice ne litteræ suffragentur in foro externo, uti colligitur ex aliis particulis, *in foro judiciario nullatenus suffragentur*, ad intercludendam viam, quæ antiquitus vigeat, ut per exhibitionem hujusmodi litterarum satis probaretur dispensatio; non vero mens fuit, ut litteris non laniatis nulla esset dispensatio unde quoad sui valorem subsisterent.

CAS. II. Petrus tradidit Cajo pecora centum æstimata cum pacto, ut quoad eorum fructus, & lana æqualiter dividantur. Q. an licite.

Respondeo negative. Ratio est, quia etiam in contractu societatis animalium capitale stare debet periculo apponentis, nisi periculum in totum, vel in partem rejectum fuerit in alterum per novum contractum assecurationis, facta gravaminis compensatione, ut omnes docent; at in casu capitale non staret periculo apponentis, quia Cajus obligationem haberet restituendi pretium pecudum juxta æstimationem, quam habebant tempore traditionis, & decrementum pretii, si quod esset, non spectaret ad Petrum, unde saluum semper esset capitale; ex altera parte periculum decrementi pretii non esset rejectum in Cajum per novum contractum, facta gravaminis compensatione, quia lucrum pecudum esset æqualiter dividendum quod præstandum esset vi simplicis contractus societatis; unde contractus fuit illicite initus. Ita cum Lugo, Oñate &c.

CAS. III. Uxor concessit Marito votum castitatis emittere, eoque emissio, illi adhuc petenti debitum concessit: modo dubitat, an fuerit Viri peccato cooperata. Q. dubii solutio.

Respondeo probabiliter negative. Ratio est, quia licite uxor potest reddere; debitum vero illicite petenti solum propter circumstantiam se tenentem ex parte personæ, cujusmodi est votum in casu; nam sicuti, data tali votendi facultate, licite potest Uxor petere, ita & reddere absque cooperatione ad viri peccatum, illud solum permittendo, quia dat operam rei licitæ ex parte actus, ad quem vir adhuc habet jus; cum per votum illud non amiserit, sicuti non amisit dominium in corpus uxoris per matrimonium acquisitum; quo jure adhuc posito ex parte viri, sequitur uxorem non esse exemptam ab obligatione reddendi; & sic in tali redditione viri peccato non cooperari. Quod si vir per emissionem voti de consensu uxoris intendisset illi